

tur. At patritii superiorum Cæsarum militiæ adscripti post emerita stipendia clari potentésq. euaserant, quum imperatorum benignitate prædiis, oppidis, portoriis, aquarúmque iuribus donarentur, speciosisque nominibus acceptis, aurati equites, Valuasores, Capitanei, & Comites appellarentur. His vti Cæsarum beneficiariis mos erat pro insigni Romanam aquilam gestare. Ingressi Italiam nouo Cæsari adesse, præstare operam militarem, nouósque honores perpetuis officiis promereri. Ita honestati priuilegiis & exempti ab communi foro iurisdicundi inferiores populi classes plebémq. ipsam seruilem in modum despectui atque ludibrio habere, & sæpe si iussa tarde facefferet, contumeliis atque verberibus mulctare consueuerant. Et quo nihil acerbius videbatur, vigeat iniqua lex, haud dubie ad iniuriam populi promulgata. Qua lege si quis è plebe à patritio esset interfectus, paucis assibus ea capitis pœna solueretur. Huius legis iniquitas aliquandiu tolerata, ad extremum plebis animos adeo vehementer exstimulauit, vt vi atque armis eam rescinderet, & nobiles ducibus Turrianis persequeretur. Nihil deinde medium aut æquabile plebs volebat, quum arma teneret, & vindicandas superiorum temporum iniurias arbitraretur, Frustra etiam patritiis priorem licentiam suam moderantibus. Ea enim impotenter dominari quàm ex æquo iniurias propulsare malebat. Ea contentio Turriano (vti supra docuimus) in ciuitate prætores & principes ac demum recrudescente intestino malo, belli duces & dominos fecit, tantaque demum fuit imperitiæ plebis insania, vt odio nobilitatis quam vrbe pepulerat, causa recuperandæ libertatis, nouæ demum & præduræ quidem seruitutis iugum, æquo animo perferret. Quum iam Turriani sublata publici consilii potestate, cuncta pacis et belli munia ad arbitrium suum reuocassent, & vt imperii opes validius confirmarent, in partes Caroli regis & pontificum concesserant, mutuisque foederibus initis, in eam curam euigilabant, vt Germani Cæsares Italiæ finibus arcerentur, Gibellinos vbique perderent, infirmarentq. eorum vires qui à Cæsaribus opem implorarent. Per hunc modum Roma, Neapoli, Florentia, atq. Mediolano exacta proscriptaq. nobilitas errabat, consilii inops, percussa metu, attrita opibus. Ex aduerso autem pontificii imperii maiestas, percolente tuentéq. Carolo, atq. adiuuantibus Turrianis autoritate viribúsque florebat. Sed necesse erat sacrosanctos principes, qui vti omnium parentes Christiana professione ad componendam pacem medii æquissimique arbitri esse deberent, factiones sequi, & quod prope impium videri poterat, sese Guelpharum partium principes profiteri. His de causis Gregorius vt temporibus seruiret, præsentique ocio consulere, Othonis & totius nobilitatis obliuiscendum existimauit. Verum ad inanem iustitiæ speciem postulauit, vt archiepiscopatus iura, atque item oppidorum & agrorum redditus ad exilii solatium Othoni redderentur. Vix credibile